

locos à se animaduersos miserūt, quos ipse vbi  
cum Gagnoio contulit, postea remisit cum epi-  
stola valde prolixa, in qua castigandi rationem  
tradebat, ad cuius exemplar reliqua emenda-  
re ipsi deberent. In qua quidem epistola, mul-  
ta sunt, scio, de utilitate annotationum, quæ nō  
parum eos vrebant. Rex vbi eos duræ cerui-  
cis homines, adeoque indomabilis contumaciæ  
esse sensit, qui aduersus se diabolicam suam vœ-  
saniam ad extremum tueri vellent, satis haben-  
tes dixisse, Hæreticum est, fide penes ipsos ma-  
nente: XXVI Octobris diploma mittit suo  
sigillo in cerā impresso cōmunitum, quo seuerè  
etiam additis minis præcipit vt in absolutione  
censurarum pergant, & mihi dent imprimen-  
das. Neglexerunt tamen, imò data opera con-  
tempserunt. Cum ita Regi sint immorigeri &  
peruicaces, tranquillum tamen regni statū fore  
negant, nisi suo more licētiose quiduis audeāt.  
Regis tamen est videre, quam obsequētem ha-  
biturus sit populū talibus magistris. Moritur  
interea rex Franciscus, cui Henricus filius suc-  
cedit, qui anno M.D.XLVII, XVI Augu-  
sti, primo regni sui anno, diploma ad eos misit

b.ii.